



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitulum VII. Referente.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

## CAPITULUM VII.

## Referente.

## PARAPHRASIS.

Cùm J. Presbyter duas Ecclesias obtineret, Archidiaconus ei unam de facto ademit, atque Presbytero G. contulit, at verò dictus J. gravari se ratus, ad Archiepiscopum Rhemensẽ appellavit, à quo Ecclesia ipsi restituta est; postea verò Archidiaconus dictum J., quòd vocatus ad præsentiam suam venire contempserit, excommunicavit. Cùm hoc intellexisset Alexand. III. Presbyterum J. ab excommunicatione absolvi curavit, mandataque hinc Episcopo Diocæsano, ut eidem J. ex duabus, quas tenet, Ecclesijs unam, quam maluerit, relicta, alteram Presbytero G. si Ecclesiam non habet, sine mora assignet; sin autem habeat, alteri personæ idoneæ conferat.

## SUMMARIUM.

1. Hoc Capitulum duobus modis intelligi potest, ut sermo scilicet in eo sit de duobus Curatis beneficijs, vel de duobus Canonatibus in diversis Ecclesijs.
2. Quomodo defendi possit appellatio, ab Archidiacono facta ad Archiepiscopum Rhemensẽ, omisso intermedio, Episcopo scilicet.

**H**oc Capitulum duobus modis intelligi potest. Primò, ut sermo sit de duabus Parochijs seu beneficijs curatis, tunc dicendum, quòd Capitulum istud sit correctum per Capitulum de multa 28. hoc. tit. Secundò, ut sermo sit de duobus Canonatibus in diversis Ecclesijs, tunc definitur id, quòd in c. ult. tit. præcedentis docui, si quis duo beneficia simplicia accipere, quæ incompatibilia sunt, neutrum ipso jure vacare, sed cogendum esse beneficiarium, ut alterum, quòd maluerit, resignet.

Obijciatur. Quòd hinc ab Archidiacono appellatum fuerit ad Archiepiscopum, o-

missio medio Episcopo, contra c. dilecti 66. de appellationibus. Glossa hic. P. Archiepiscopum responderet, in ea regione per consuetudinem introductum fuisse, ut ad Archiepiscopum, omisso Episcopo, appellari possit; quæ responsio bona esset, si nobis constaret, quòd eo tempore talis consuetudo præscripta fuisset, ut ab Archidiaconis, aliisque inferioribus Prælatibus, omisso Episcopo ad Archiepiscopum Rhemensẽ appellare liceret, sicuti constat ex c. 3. §. ab Archidiaconis de appell. in 6. Quia verò id non constat, ideo ait Abb. hic, quòd Glossa divinet, quare ipse dat aliam responsionem, quòd pars adversaria permiserit talem appellationem fieri, & regulam hinc colligit, quòd valet appellatio, medio omisso, si contra eam non excipiatur. Verùm nec hæc responsio ex textu colligitur, quare & ipsa divinare videtur; præterquam, quòd dubitari possit, num ea juri consona sit, sicuti monui in cit. c. dilecti. Potest itaque dari alia responsio, quæ ex textu probabiliter colligitur: cùm Archidiaconus iste non tantum instituendi, sed etiam destituendi potestate usus fuerit, habuisse eum jurisdictionem in suo Archidiaconatu, privativè præscriptam, adversus Episcopum, & ideo quasi Episcopalem erga Clericos jurisdictionem exercuisse, juxta ea, quæ docui in irrefragabili 13. de officio ordinarij, & in disput. de jurisdictione ordinaria. con. 77. tum verò mirum non est, consuetudinem viguisse, ut sicuti ab Episcopo in causis, suæ jurisdictioni subjectis, ita etiam ab Archidiacono, veluti parem Episcopalis jurisdictionis intra eandem Diocæsiam obtinente, ad Metropolitanum appellatio devolveretur; alioquin verò, si Prælati aliquis exemptus, & Sedi Apostolicæ immediatè subjectus sit, ab eo ad Papam appellari debet, non ad Metropolitanum, prout tradit Greg. Tolosanus de appellatione lib. 4. c. 3. n. 17.

\* \* \*

I ;

CAPI-